

EPISTULA LEONINA

CXXIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM VICESIMAM TERTIAM (123) !

ARGUMENTA

1. ORATIO INAUGURALIS DONALDI TRUMP.....	04-11
2. PETITIONES PARALLELAE: TRUMP & CLINTON (<i>Marco Cristini</i>).....	12-19
3. VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (I).....	20-26
4. MOMO MICHAELIS ENDE TUNICA INDUTA.....	27-34
5. ECHUS VOCES.....	35

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam vicesimam tertiam. D.20. m.Ian. Donaldus Trump praeses Civitatum Unitarum Americae ad munus suum suscipiendum sollemniter inauguratus est. Eius orationem inauguralem togâ induere placuit Leoni Latino. De hac versione dicas quidquid tibi in buccam venerit. – Babae, quam disertê scripsit Marcus Cristini Italus Brixianus studia humaniora amplexus de petitionibus Donaldi atque Hilariae ! Eius relatio verê digna est lectu ! – Omnes Latinitatis vivae defensores inter se consentiunt novis rebus nova nomina esse imponenda. Itaque non possumus, quin his in Epistulis Leoninis etiam afferamus **vocabula artis et architecturae** rariora et recentiora et recentissimê conficta, ut ditificetur thesaurus verborum Latinus. – Quis vestrum nescit **Momonem puellam** illam mysterialem, de quâ narrat **Michael Ende**? Sive scis sive nescis, commendo tibi eius ‘adventuras’ (sit venia verbo mediaevali !) in Latinum sermonem conversas. - Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 123 tolle et lege et laetare et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

die Saturni, 28. m. Ian., a.2017



בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ
 והארץ היתה תהו ובהו ורוח על פני תהום ורוח
 אלהים מרזזפת על פני המים ויאמר אלהים יהי

**IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CAELUM
 ET TERRAM. TERRA AUTEM ERAT
 INANIS ET VACUA ET TENEBRAE SUPER
 FACIEM ABYSSI ET SPIRITUS DEI
 FEREBATUR SUPER AQUAS.**

ORATIO DONALDI TRUMP INAUGURALIS¹

<http://edition.cnn.com/2017/01/20/politics/trump-inaugural-address/index.html>



D.20. m.Ian. a.2017 DONALDUS TRUMP, Praeses Civitatum Unitarum Americae ius iurandum dat officii praesidialis orationem inauguralem habiturus. A dextris spectantur Melania Donaldi uxor amborumque filius Baron. Textum anglicum in Latinum convertit Leo Latinus.

¹ **+inaugurālis,-e:** cfr Albert Sleumer, Kirchenlateinischen Wörterbuch, Limburg a.d. Lahn 1926, p.416: „inauguralis, e 1. zur Vogelschau gehörig, 2. zur feierlichen Einweihung gehörig. Einweihungs...-; auf die Aufnahme bezüglich, Antritts-.“ – cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-deutsches Handwörterbuch, 14.ed., tom.II, col. 134, s.v. **inaugurātiō**, -ōnis f. (inauguro), der Anfang, Tert. Ad Valent.11. – op.mem., col.135, s.v. **inaugurō**: „...II) tr. ... eines Priester usw. weihen, einsetzen, flaminem, Cic. u. Liv.; regem sacrificum, Liv.; augurem, Liv.; übtr., cena et poculis magnis inauguratur (dux latronum), Apul.met. 7,9. – cfr Wikipedia s.v. **Inauguration**: „...Die Amtseinzugszeremonie des US-amerikanischen Präsidenten wird auch als Inauguration bezeichnet. Auch im Russischen ist die Bezeichnung Inauguration (**Инаугурация**) üblich, ebenso wie im Spanischen **la Inauguración**. In Österreich ist der Begriff für die **Amtseinführung von Universitätsrektoren** gebräuchlich. Auch die feierliche erste Messe eines neuen Papstes bezeichnet man als **Inaugurationsmesse**. In Deutschland werden Universitätsprofessoren durch die **Inauguralvorlesung** in das Amt eingeführt. Die schriftliche Arbeit zur Erlangung eines Doktorgrades wird auch **Inauguraldissertation** genannt, weil diese den Wissenschaftler in die Doktorwürde einführt.“

Summe Iudex Roberts, Praeses Carter, Praeses Clinton, Praeses Bush, Praeses Obama, cari concives, homines ubique terrarum versantes: multas gratias ago.

Nos, cives Americae, cuncti sumus magno nisu nationali, quo terram nostram restauremus – et illius promissum omnibus civibus datum denuo impleamus.

Unâ nos cursum Americae et mundi ad multos, multos annos determinabimus. Incidemus in difficultates. Offendemus asperitates. At nos opus faciendum perficiemus.

Quinto quôque anno congregari solemus in his scalarum gradibus, ut potestatem transferamus pacificê atque ordinatê. Grati sumus Praesidi Obamae Dominaeque primae Michaelae Obamae, quod inter hanc translationem liberaliter nos adiuverunt. Qui fuerunt magnifici. Gratias ago.

Celebratio autem hodierna habet momentum valdê extraordinarium, quia hodie non solum transferimus potestatem ab unâ gubernatione ad alteram, ab unâ parte politicâ ad alteram – quin potius ex urbe Vassintonio potestatem ablatam reddimus vobis, id est populo Americano.

Nimis diu parvus grex praepotentium in urbe principe versans mercedem accepit gubernationis, cum populo ferendi essent sumptûs. Vassintonia floruit – at populus nullo modo eius divitiarum fuit particeps. Homines politici prosperâ fortunâ sunt usi, sed occupationes peregrê ablatæ sunt et fabricæ sunt clausæ.

Praepotentes¹ tutati sunt se ipsos, sed non cives huius terræ. Eorum victoriae non fuerunt victoriae vestrae, eorum triumphus non fuerunt vestri triumphus. Cum illi in urbe nostrâ principe celebrarent, multis familiis totius terræ nostræ luctantibus vix ulla fuit causa celebrandi.

Haec omnia nunc mutantur – hîc enim momento temporis, nam hoc momentum est momentum vestri: Quod spectat ad vos. Quod spectat ad omnes, qui hodie hîc loco sunt congregati, et ad omnes, qui totâ in

¹ praepotentes, -ium m.pl. i.q. orig. *the establishment*.

terrâ nos aspectant. Hic dies est vester. Haec est vestra celebratio. Civitates autem Unitae Americae sunt terra vestra.

Reverâ non rêfert, quaenam pars politica custodiat gubernationem nostram – sed rêfert quaerere, num gubernatio nostra custodiatur a populo.

Dies vicesimus mensis Ianuarii anni 2017 memoriter tenebitur ille dies, quo cives denuo facti sunt domini huius nationis. Viri mulieresque nostrae terrae oblivioni datae non iam oblivioni dabuntur.

Nunc omnes vos audient.

Decem miliones vestrum venerunt, ut participes fierent motûs populi historici, motûs, qualis numquam antea ab hominibus est conspectus.

Hominibus mediis huius motûs participibus id persuasum est, ut natio exstet utilitatis causâ civium. Americani volunt habere bonas scholas liberis suis destinatas, volunt habere tribûs urbium familiis suis securas et bonas occupationes sibi ipsis aptas.

Hae sunt postulationes iustae atque consentaneae civium proborum. At nimis multi civium nostrorum alia experiuntur vera: Matres et parvuli mediis in urbibus vivunt pauperes; fabricae ferrugine obsitae in plagis caeli nostrae nationis iacent passim disiectae tamquam lapides sepulchrales. Condito systemate eruditionis pretioso discipuli nostri iuvenes atque pulchri restant ineruditi. Denique autem fiunt scelera, sunt catervae sceleratae necnon drogae, quibus tot vitae totque ingenia atque facultates terrae nostrae sunt destructae.

Istaec caedes Americana finietur, idque hîc et nunc.

Nos sumus unus populus – et dolor illorum est dolor noster. Illorum somnia sunt somnia nostra, et illorum successus felix erit noster. Nos omnes participes sunt unius cordis, unius patriae, unius fortunae gloriosae.

Ius iurandum officiale, quod hodie do, est ius iurandum fidelitatis, quod praesto omnibus Americanis.

Per decennia ditificavimus oeconomiam exterraneam, idque sumptibus oeconomiae Americanae.

Adiuvimus copias aliarum nationum militares, cum pateremur miserê deminui copias nostras. Nos defendimus limites aliarum terrarum simulque recusavimus, ne idem faceremus de limitibus nostris propriis. Necnon multos biliones dolariorum erogavimus in terris transmarinis, cum infrastructura Americae detrita dilaberetur.

Nos alias terras ditificavimus, cum divitiae et robur et confidentia nationis nostrae evanescerent.

Una fabrica post alteram clausa est aut peregrê translata, sed nullo modo curati sunt miliones operariorum Americanorum, qui erant relictî atque neglecti.

Possessio nostrae classis mediae erepta per totum mundum est dissipata.

At haec facta sunt temporibus transactis. Nos nunc prospiciemus ad tempus futurum.

Nos omnes hodie decretum ferimus, quod audiatur in omni urbe, in omni urbe principe alienâ necnon in omni sede gubernationis.

Inde ex hâc die fata terrae nostrae determinabuntur novâ visione.

Inde ex hâc momento temporis primo loco nihil valet nisi America.

Quandocumque agetur de commercio, vectigalibus, immigratione, res politicas externas semper diiudicabimus respectu utilitatis, quam habeant operarii Americani aut familiae Americanae. Necesse est nos tutari limites nostros contra impetûs nationum aliarum, quae volunt merces nostras fabricare, negotiationes nostras furari, occupationes nostras delere. His limitibus tutandis fiemus opulenti atque robusti.

Omni spiritu corporis mei pugnabo pro vobis – et numquam spem vestram decipiam. America denuo incipiet lucrari, lucrabitur plus quam umquam antea.

Nos reparabimus occupationes nostras. Nos reparabimus limites nostros. Nos reparabimus opulentiam nostram. Nos reparabimus somnia nostra.

Nos aedificabimus novas vias et stratas autocineticas et pontes et aeriportûs et specûs et orbitas ferriviaras per terram nostram mirabilem.

Nos nostrum populum a curâ sociali² ablatum faciemus opulentum et occupabimus – terram nostram restaurabimus manibus Americanis Americanoque labore exanclando.

In eo sequemur duo praecepta simplicia: Emito merces Americanas et occupato operarios Americanos.

Studebimus amicê atque benevolê agere cum nationibus mundi. At in eo semper cogitabimus ius esse omnis nationis primo agere secundum comoda propria.

Nos nolumus ullum cogere, ut vivat secundum nostrum modum vivendi, sed studemus aliis exemplum dare splendidum.

Nos vetera foedera firmabimus et nova iungemus. Nos volumus gentes mundi cultiores counire pugnantes contra tromocratiam islami radicalis, quam ita eradicabimus, ut funditus auferatur e conspectu terrae.

Fundamentum rationis nostrae politicae erit fides erga Civitates Unitas Americae praestanda, et hac fide denuo reperiemus fidem alterius erga alterum praestandam.

Si animos vestros aperueritis amor patriae, nequaquam admittetis opiniones praeiudicatas.

Biblia nobis dicit: »Quam pulchrum est populum Dei vivere concorditer«.

² cûra socialis i.q. orig. welfare (sc. benefits).

Debemus loqui animo aperto, honestê agere controversias nostras, sed semper petere concordiam. Si America erit counita, America nullo modo retardabitur.

Ne quis timeat – nos protegimur et semper protegemur. Protegimur a magnis viris mulieribusque nostris militibus atque astynomis, et praecipuê protegimur a Deo.

Denique debemus magna cogitare etiamque maiora somniare.

In Americâ credimus nationem non vivere nisi operam det propositis assequendis. Nos non iam patiemur homines politicos, qui tantummodo loquantur, sed non agant. Qui queri non desinunt, sed numquam mala tollunt. Transactum est tempus talia verba lapsantia faciendi. Nunc venit tempus agendi.

Nolite concedere alicui, ut dicat aliquid fieri non posse. Nulla difficultas superabit Americae animum et spiritum pugnandi.

Rem nostram haud male geremus. Natio nostra denuo florebit et fiet prospera.

In initio novi millennii stamus prompti paratique ad mysteria universi patefacienda, ad terram a morbis liberandam et energias atque technologias futuras adhibendas.

Novo spiritu nationali animae nostrae commovebuntur, oculi tollentur, controversiae componentur.

Tempus est recordari vetus illud sapienter dictum quod milites nostri numquam obliviscentur: Sive sumus nigri sibi fusci sive albi – nos omnes eundem sanguinem effundimus rubrum, quo sunt homines patriae amantes.

Nos omnes fruimur iisdem libertatibus gloriosis nosque omnes salutamus idem magnum vexillum Americanum.

Sive infans nascitur in urbe Detroito sive in pratariâ Nebrascae – ambo infantes in idem caelum suspiciunt, in idem caelum nocturnum, animos complent somniis iisdem et spiritum vivendi accipiunt ab eodem creatore omnipotenti.

Itaque omnes Americani in urbibus propinquis et remotis, parvis et magnis, inter unum oceanum et alterum habitantes, audite haec verba: Vos numquam iterum negligemini.

Vestrae voces, vestrae spes, vestra somnia efficient fortunam Americae. Vestris animis, vestrâ clementiâ, vestro amore nos semper in hac viâ ducemur.

Unâ denuo faciemus Americam fortem.

Denuo faciemus Americam opulentam.

Denuo faciemus Americam superbam³.

Denuo faciemus Americam securam.

Necnon unâ denuo faciemus Americam magnam.

Multas vobis ago gratias. Deus vos benedicat, et Deus benedicat Americam.

³ orig. *proud*; theod. *stolz*. **Superbia** non semper est vitiosa qualitas animae: cfr VERG.Aen.1,24 populum late regem belloque **superbum**; SIL. 8,474 **superbi** Tarchonis domus. id. 10,573 **superbus** animae virtute et factis; cfr SEN.ep.76,21 quae (virtus) inter hanc fortunam et illam **superba** incedit cum magno utriusque contemptu. cfr HOR.carm.3,30 Sume **superbiam** quaesitam meritis et mihi Delphica lauro cinge. – At **Krebs et Schmalz** Antibarbari auctores (nimis argutê, ut mihi videtur) contendunt adiectivum theodiscum *stolz*, si significet qualitatem animae bonam (non vitium vituperandum), non rectê converti in adiectivum Latinum, q.e. *superbus*, quia hoc ferê semper significet qualitatem animae vitiosam, i.e. fastum, adrogantiam. – cfr Krebs/ Schmalz, Antibarbarus der lateinischen Sprache, tom.2, Darmstadt (WB) 1984, p.626sq., s.v. *superbia*: “*Superbia (der Stolz)* wird sehr selten (z.B. Tac.hist.3,66) anders, als im bösen Sinn (des Tadels) gebraucht; es bezeichnet also mehr *Hoch-* oder *Übermut*, so dass *nobili quadam humanissimaque superbia* wohl für unpassend zu halten ist. *Edler Stolz* ist **libera contumacia**, was Cicero (Tusc.1,71) dem Sokrates vor seinen Richtern beilegt. – Ebenso wenig findet sich das Adj. *superbus* in Prosa in gutem Sinne; es ist vielmehr *hochmütig, übermütig*, und wird mit *arrogans*, Cic.Sulla 25, *crudelis*, Rabir.13, Phil.3,24, *insolens*, Marc.9, zusammengestellt...” cfr Carlo Boucheron De Clemente Damiano Priocca narratio Caroli Boucheroni ad v. a. Prosperum Balbum, Augustae Taurinorum 1815, p.73: “Tunc ille adversus tantam impudentiam **libere contumax**, ‘quidni igitur sontem insontemve, si ita lubet, plectitis?’” – **Aliter sentiunt de vi verbi superbiae philologi Britannii**: cfr Holdsworth/Spence: Remarks and dissertations on Virgil, with some other classical observations, London 1768, p.210: “+Superbus is used in Latin, and most of the languages derived from it, **in a good sense, as well as in the bad**. ‘Superbae virtute et factis animae’ Sil.Ital.X.573. – ‘Superbi Tarchonis domus’ id. VIII.474 The house of the Great Tarchon, or Tarchon the Great”. – cfr Spence, Joseph/Singer, Samuel Weller: Anecdotes, observations, and characters of books and men. London 1820, p.128: “**Where**, by the way, **superbus seems to be used in a good sense (as it often is in the Latin (Aen.I,21 of the Trojans, Sil.Ital.X.573) and several languages derived from it, because Tarchon assisted in helping Aeneas to the throne; and consequently toward the establishment the Caesars.**” – cfr Lewis, Charlton/Short, Chares: A Latin Dictionary, Oxford 1879, s.v. *superbus*: “... II. **In a good sense, proud**, superior, excellent, distinguished; splendid, magnificent, superb (poet. and in post-Aug. prose): Sen.Ep.76,21... Verg.Aen.1,21... Sil.10,573; ...”

**ORATIONEM INAUGURALEM
DONALDI TRUMP PRAESIDIS
CIVITATUM AMERICAE UNITARUM
D.20. M. IAN. MMXVII HABITAM
IN LATINUM CONVERTIT**

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Petitiones parallelae sive Certamen inter Hilariam Clinton et Donaldum Trump factum

Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit (Sen. Ep. 73, 3)

Candidatorum certamen ante praeteriti anni suffragia ad praesidem Civitatum Foederatarum Americae eligendum longum, difficile, asperum, contumeliis plenum criminationibusque dives fuit, nec petitorum coniugibus nec rebus familiaribus nec honori pepercit. Per menses quinque America funditus lacerata, in duas factiones divisa est, quarum altera alteram scelestam, perfidam atque insidiosam putabat. Exitum insuper comitiorum permulti utrisque Atlanticis oris mirati sunt, qua de causa haud inutile arbitror aliquid de candidatis deque petitionibus scribere, ne Latinae linguae fautores, cum omnium paene populorum sermonibus symbolae et libri de rebus in Civitatibus Foederatis gestis iam scripti sint, commentariolo quodam de petitione Americana careant.

Candidatus, immo candidata, maioris famaeprocul dubio Hilaria fuit Clinton, gubernatoris praesidisque uxor, factionis Democraticae senatrix¹, muneris candidati Democratici petrix² una cum Barack Obama necnon rei publicae secretaria. Quae mulier re vera est magna vi et animi et corporis, sed ingenio superbo ambitiosoque. Nata est in urbe Chicagensi anno 1947 et vocata est Hilaria Diana Rodham a parentibus Ugone Ellsworth Rodham, cui erat textrinum, et Dorothea Emma Howell; nomen mariti Clinton postea accepit. Puella dicitur in schola inter alios discipulos alacritate mentisque acumine innotuisse. Ipsa postea narravit se anno 1961 epistulam Nationali Spatio Aeronauticaeque Administrationi misisse, qua peteret, ut astronautae negotium obire posset, sed ei responderunt mulieribus nautas siderales fieri haud licere. A primis cunis gloriae cupiditas animum suum regit. In schola discipulorum concilio commentariisque interfuit, classis propraeses electa est et candidata fuit muneris classis praesidis, sed illo anno puer delectus est.

Parentes eius factionis erant Republicanorum et anno 1964, septendecim annorum aetate, Hilaria favit candidato Republicano.

¹ senatrix, -icis f. PRISC.4,40; senatores et senatrices VITA CAESARII 1,4,30.

² petrix, -icis f. PS.-QUINT.decl.252.

Postea, cum in universitate studiorum esset scientiaeque politicae studeret pernoscendae, primum factioni Republicanae, deinde tamen Democraticae suffragia dedit. Congressibus politicis saepe interfuit et prima discipula fuit, quae orationem habuit coram studentibus, qui nuper diplomata acceperant, quam ob rem in nuntiis televisificis commentariisque laudata est. Postea legibus in universitate Yalensi studuit pernoscendis, ubi iterum rebus politicis se dedit. Anno 1971 Villelmi Clinton amore capta esse traditur, quo vero anno in societate patronorum, quae cives pauperes defendebat, operam quoque dedit.

Anno 1973 iuris doctor renunciata est, dein per annum puerorum legibus studuit pernoscendis et Vassintoniae paulisper habitavit. Interea Villelmus Clinton saepius quam semel dixerat se eam uxorem ducere velle, sed Hilaria cunctata est, cum animus eius totus occuparetur rebus politicis. Quamquam popularis legata fieri cupiebat, postremo Villelmu Clinton in Arcansiam secuta est, ubi ius docuit in universitate. Anno 1975 nupsit Villelmo Clinton, sed nomen Rodham primum retinuit dicens se vitam conubialem a negotiis disiungere velle.

Anno 1978 Villelmus Clinton gubernator civitatis Arcansiae factus est eiusque uxor operam dabat societati patronorum. Hoc tempore dicitur haec plus pecuniae lucrata esse quam maritus. Anno 1980 filiam Chelseam peperit. Anno 1982 maritus iterum creatus est gubernator et uxor coepit se appellare *Clinton*. Societas, in qua operam dabat, civitati quoque consiliis subsidio erat et fama Hilariae clientes multos ad patronos eius collegas attrahebat, qua de causa nonnulli dixerunt illam paulum honeste se gessisse, cum eodem tempore uxor gubernatoris necnon defensor civitatis esset.

Anno 1992, postquam Villelmus tertium gubernator electus est, hic ad petitionem praesidis muneris descendit, sed adulterii accusatus est, quod is et uxor negaverunt. Cives nihilominus Americani Villelmu Clinton praesidem fecerunt et Hilaria marito consilia saepe dedit. Pro pueris mulieribusque tuendis pugnavit et coniugem saepe comitata est, cum iter faceret ad nationes exteras. Eodem autem tempore dicitur illa amicis favisse, pecunia rei publicae haud semper honeste usa esse muneraque splendida accepisse, sed numquam condemnata est. Anno

1998 maritus adulterium commisit cum Monica Lewinsky et Hilaria primum negavit crimen, dein marito ignovit ob amorem vel, ut plurimi dixerunt, ob ambitionem.

Anno 2000, cum maritus munus deposuisset, senator civitatis Novi Eboraci facta est, quamquam illic nec nata erat nec ante electionem umquam habitaverat. In senatu familiariter usa est multis conlegis et Democraticis et Republicanis. Anno 2001 pro bello adversum Afghanistaniam et postea pro bello contra Saddam Hussein gerendo suffragium dedit. Anno 2006 iterum senatrix electa est et anno 2007 nuntiavit se candidatam Democraticam praesidis muneris fieri velle. Barack tamen Obama, senator tunc satis obscurus, cum Hilaria contendit et mox suffragia multa cepit. Hilaria Clinton, quae putabat se candidatam longe meliorem quam Obamam esse, petitionis pecuniam fere totam primis in comitiis expendit, arbitrata adversarium facile superaturam esse. Ubique tamen iuvenes et cives litterati Obamae favebant, senes et operarii Hilariae Clinton. Postremo ipsa id concessit, ut Obama victor esset, eoque auxilio fuit in petitione.

Novo praeside electo Democratica factio, quae Obamam initio parum diligebat, Hilariam ob labores eius remunerata est eam secretariam rei publicae creans. Munere functa est callide, sine requiete in itineribus administros rectoresque exterarum gentium convenit et praesidi numquam obtrectavit, sed nonnullis visum est ipsam et non Obamam rebus exteris in agendis summam habere potestatem. Anno 2011 aeroplana navesque Civitatum Foederatarum Americae impetum contra Libyam fecerunt, cuius regimen sine misericordia cives mactabat, et Hilaria belli fautrix fuit. Eodem anno tromocrata Osama Bin Laden necatus est in Pacistania ab excubitoribus Americanis, quorum irruptionem illa praesidi suaserat. Dein ipsa voluit arma rebellibus Syris contra tyrannum Assad pugnantibus dare, sed senatus recusavit. Mense Septembri anno 2012 rebelles Libyci legatum Americanum Christophorum Stevens necaverunt et Hilaria neglegentiae accusata est. Mense Decembri anno 2012 valetudine adversa laboravit, sed postea medici dixerunt illam reconvaluisse. Insuper cum Hilaria Clinton secretaria rei publicae esset, epistolia electronica secreta saepe in ordinatris suis servavit, quam ob rem iterum neglegentiae accusata est. Mense Aprili anno 2015 nuntiavit se

candidatam praesidis muneris iterum fieri velle; de qua petitione autem scribam post vitam Donaldi Trump, candidati Republicanis.

Donaldus Iohannes Trump dives retium televisificarum dominus ac deversoriorum possessor est. Vir magis pecunia quam ingenio praeditus esse multis videbatur et cum dixisset se ad petitionem descensurum esse, universi riserunt arbitrati illum esse iocatum. Risus tamen paucis mensibus elapsis evanuit et pro eo fuit horror aliorum, aliorum gaudium.

Donaldus Trump natus est Novi Eboraci anno 1946 a Ferdinando Trump, qui palatia domusque permultas possidebat, et Maria Anna MacLeod. Aetate tredecim annorum scholam reliquit ob pessimos mores suos et in Scholam Militarem Novieboracensem ingressus est. In universitate postea rebus oeconomicis studuit pernoscendis et anno 1968 factus est baccalaureus. Bello in Vietnamia saeviente, stipendia merere coactus haud est ob talum debilem vel, ut nonnulli suspicantur, ob famam illius familiae.

In societate patris operam dedit et palatia innumerabilia erigenda curavit, inter quae memoranda est Turris Trumpiana media in insula Manhattania sita. Campi pilamallei et aleatoria permulta ei fuerunt, sed sexies decoxit. Certaminibus quoque mulieres et Americae et reliqui orbis terrarum pulcherrimas eligendi praefuit et universitatem studiorum condidit, quae tamen post paucos annos fores ob fraudes factas clausit. Munere quoque histrionis functus est et personam sui ipsius crebro suscepit.

Quod ad res politicas pertinet, Donaldus Trump factionem saepe mutavit. Prius Republicanis favit, dein Democraticis, dein iterum Republicanis. Pecuniam copiosam utrique parti donavit et Vellelmo Hilariaque Clinton familiariter usus est. Anno 1988, 2004 et 2012 dicitur de petitione muneris praesidis cogitavisse. Mense Iunio anno 2015 nuntiavit se candidatum fieri cupere cum sententiola “Americam iterum magnam facere”.

Haec tamen de vita Donaldi Trump hactenus. Nunc de utriusque petitoris certamine pauca narrabo. Hilaria Clinton initio, ut solebat, rata est se procul dubio victuram esse, cum inter Democraticos nullus

alius clarus candidatus esset, sed mox intellexit senatorem socialistam Bernardum Sanders adversarium validum esse. Iuvenes enim Hilariam parum amabant, eam mendacem, nimis honorum cupidam necnon praedivitem argentariorum amicam esse arbitantes. Pugna cum Bernardo Sanders acerrima est facta et nonnumquam perfidiosa. Hilaria enim Clinton, cui factio Democratica sine ulla cunctatione favebat, fecit ut nonnullis in civitatibus iuvenes cives difficulter suffragia dare possent. Insuper factio Democratica civibus inauditis legatos nonnullos eligere solet, qui una cum legatis a populo delectis candidatum creant, et anno 2016 omnes hi legati “haud electi” Hilariae subsidio venerunt. Postremo epistolia electronica nonnulla a factionis principibus scripta ostenderunt certamen minime aequum fuisse, sed Democraticos optimates semper Hilariam Clinton Bernardo Sanders praetulisse. Igitur cum mense Iulio anni 2016 conventus Democraticus eam candidatam renuntiavit, multi cives ipsius factioni faventes haud gavisii sunt, quamquam Bernardus Sanders, remota aemulatione, se candidatae auxilio venturum esse statim spondit.

Donaldum contra Trump in principio nemo putavit candidatum Republicanum futurum esse, cum certamen petitoribus longe probatoribus abundaret, inter quos excellabant Iohannes Bush, praesidis filius necnon frater, Eduardus Cruz, civibus religiosus gratus, et Marcus Rubio, qui “alter Obama” vocabatur, cum iuvenis et origine Hispano-Americanus (vel accuratius Cubanus) esset. Ambitio tamen superbiaque candidatorum impediverunt, quominus Donaldi Trump adversarius animosus emergeret. Factio enim Republicana prius Iohanni Bush, dein Marco Rubio favit, sed alii candidati petitionem haud deposuerunt, itaque suffragia dispersa sunt et mense Martio Trump Republicanus petitor renuntiatus est.

Certamen denique inter Donaldum Trump factum est et Hilariam Clinton. Ut iam vidimus, candidati institutione, familia, ingenio animoque inter se maxime differebant. Hilaria ab adolescentia fuit dira famae cupidine et rebus politicis semper attente studuit. Donaldus contra discipulus mediocris fuit et in re publica administranda minime versatus est. Hilariae petitio videbatur culmen et meta vitae ultima, quam diu erat praemeditata, Donaldi iocus vel viri locupletissimi libido. Altera tota vita operam dedit legibus interpretandis

scribendisque, alter pecuniae lucrandae, gloriam una, alius divitias persecutus est.

Ad eorum tamen consilia perveniamus. Hilaria Clinton se pueris, puellis mulieribusque profuturam esse promisit. Homosexualibus, Americanis ex Africa Mexicove oriundis, Islamicis migrantibusque favit et pecuniam pauperibus sine negotio elargiri spondit. Insuper contra Russiam saepe locuta est et in Syria rebellibus subsidio armis, telis et fortasse militibus quoque aeroplanisque venire cupiebat. Donaldus contra Trump civibus Americanis ex Europa oriundis placere studuit. Islamicos palam odit promisitque se illis aditum ad Americam prohibendum esse, insuper se curaturum esse, ut ad litem Americano-Mexicanum extrueretur, ne migrantes sine permissione in Civitates Foederatas ingrederentur. Donaldus Praesidem Russum Vladimirus Putin magni fecit et dixit ab America bellis externis non esse intermiscendum.

Haec summatim concilia sunt candidatorum, qui tamen magis contumeliis quam argumentis invicem pugnaverunt. Hilaria enim Clinton accusata est perfidiae ob adulteria mariti ab ea excusata, ob pecuniam ab argentariis acceptam, ob epistolia electronica secreta in ordinatis suis servata obque malam suam valetudinem celatam et ob negligentiam, qua non impedivisset legati Americani caedem in Libya factam. Sic factum est, ut Hilaria superbia et ambitione inductus animos civium redderet sibi inimicos.

Donaldum contra Trump diurnarii, qui paene omnes Hilariae Clinton aperte favebant, ob adulteria, ob iniurias mulieribus allatas, ob xenophobiam obque verba parum prudentia reprehenderunt. Nihilominus ille civibus permultis placebat, cum opiniones sinceras sine reticentia diceret. Hilaria enim Clinton magistra politicae rectitudinis fuit, quae multis virtutis tantum simulatio videbatur esse, Donaldus autem Trump creberrime politicam rectitudinem castigavit. Ceterum ubique nationum Hesperiarum hoc tempore cives politicos spernunt quia arbitrantur illos mendaces esse et paulum vel nihil de publicis quaestionibus curare, cum dediti sint solum pecuniae pro eis vel pro eorum factione colligendae. Itaque factae sunt nonnullae factiones “populares” politicis infestae, demagogia magis magisque crescit et in Europa et in America ac Trump demagogorum princeps

erat, cum civibus Americanis id tantum diceret, quod illi audire cupiebant. Islamica tromocratia saeviente multi Mahometanos timebant et Trump tali metu usus est, ut suffragia lucraretur. Politici Vassintoniani parum sinceri saepe videbantur, igitur Donaldus, qui politicus numquam fuerat, innumerabilibus Americanis placuit.

Quibus rebus cognitis nemo est qui miretur istos candidatos de munere praesidis Civitatum Foederatarum ratione tam aspera tamque inurbana certavisse. Politicorum adrogantia populum Americanum fatigaverat, igitur histrionem praedivitem nationis dimidia pars peritae sed ambitiosissimae rei publicae secretariae praetulit.

Causae, quibus Hilaria repulsam tulit, ut nuper dixi, haud paucae sunt. Praeter superbiam eius maximam breviter commemorare velim stultitiam quandam, quam in muliere rerum politicarum tam perita inveniri incredibile est. Hilaria enim Clinton petitione sua praesertim favit civibus Americanis, qui originem ex Hispanicis nationibus vel ex Africa vel e populis Mahometanis ducunt quique merito a commentatoribus saepe minor pars vel minores partes nuncupantur, cum eorum numerus multis in Civitatibus Foederatis minor sit civibus ex Europa oriundis. Igitur nemo est qui miretur in civitatibus maioris momenti civium minorem partem suffragia ad praesidem eligendum Hilariae dedisse, maiorem Donaldus Trump. Permulti enim electores, qui quaeve genus ab Europaeis ducunt, arbitrati sunt Hilariam Clinton ipsis minime favere et qua de causa Donaldum Trump maluerunt, quamquam cum eius consiliis saepe parum consentiebant.

His dictis omnes intellegere possunt politicos, qui in rebus publicis democraticis civium maiorem partem neglegant et spernant, stultos, immo amentes esse, cum praesidem vel administrorum principem deligat maior virorum mulierumque nationis pars, non melior (quae putatur) pars. Quod Hilaria Clinton haud intellexit et superata est. Utinam politici Europaei aureum hoc praeceptum bene cogitatione comprehendant ante comitia proxima futura in Francogallia, Germania et Italia. Nam mihi de talibus casibus meditati verba Evangelii (Mt 24,39) venerunt in mentem: *et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes.*

Marcus Cristini

DE CERTAMINE SUFFRAGIORUM

INTER HILARIAM CLINTON

ET DONALDUM TRUMP

FACTO

SCRIPSIT

**MARCUS CRISTINI
ITALUS BRIXIANUS**

VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (I)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum decimam, quae spectat ad res accessorias. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM –
IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII. DOMESTICA – VIII. AUTURGIA
ET HORTICULTURA – IX. VESTIMENTA – X. RES ACCESSORIAE
PERSONALES – XI. ARTES ET ARCHITECTURA –
XII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA –
XIII. TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas partem **ARTIUM ET ARCHITECTURAE primam (I)** vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

Kunst und Architektur	arts and architecture	arts et architecture	arte y arquitectura	arte e architettura	artēs et architectūra
Bildende Künste	fine arts	beaux-arts	bellas artes	belle arti	artēs figurātivae
Museum	museum	musée	museo	museo	mūsēum, -ī n.
Audioführer	audio guide	audioguide	audioguía	audioguida	*xenagophōnum, -ī n. [cfr Liddell-Scott 1188 s.v. ξεναγέω: "...II. guide strangers, show them the sights ...ξεναγός, ó (ξένοσ, ἄγω)...II. cicerone, guide, Plu.2.567a, Hld.7,14 (v.l. – αγωγός)." - cfr *telephonum, *dictaphonum, *sopho-phonum]
Verwaltung	administration	administration	administración	amministrazione	administrātiō, -ōnis f.
Garderobe	coatroom	vestiaire	guardarropa	guardaroba	vestiārium, -iī n.
Büro des Direktors	super-intendent's office	bureau du directeur	despacho del director	ufficio del direttore	*graphēum dirēctōris
Büro des Konservators	curator's office	bureau du conservateur	despacho del conservador	ufficio conservatore	*graphēum cōservātōris
Archiv	archives	archives	archivos	archivi	archīvum, -ī n.
Karten-kontrolleur	ticket collector	préposé au contrôle des billets	controlador de entradas	addetto al controllo biglietti	custōs tesserārum
Dokumen-tationszentrum	documentation centre	centre de documentation	centro de documentación	centro di documentazione	*centrum documentōrum
Hörsaal	auditorium	auditorium	auditorio	auditorium	audītōrium, -iī n.
Entladerampe	unloading dock	quai de déchargement	muelle de carga	banchina di scarico	agger discarricandī https://www.welt.de/wissenschaft/article13484752/Enthusiasten-bauen-antikes-Kriegsgeraet-nach.html
Annahme-bereich	receiving area	aire de réception	área de recepción	area di ricevimento	ārea recipiendī
Konser-vierungslabor	conservation laboratory	laboratoire de conservation	laboratorio de conservación	laboratorio di conservazione	labōrātōrium cōservandī
Über-wachungs-kamera	surveillance camera	caméra de surveillance	cámara de vigilancia	telecamera di sorveglianza	*tēlcamera vigilantiae
Skulptur	sculpture	sculpture	escultura	scultura	sculptūra, -ae f.
interaktive Terminals	interactive terminals	bornes interactives	terminales interactivos	terminali interattivi	*terminālia *interāctīva
Installation	installation work	installation	instalación	installazione	+installātiō, -ōnis f. [DUCANGE: " INSTALLARE , Gall. <i>Installer</i> , In Ecclesiastici beneficij possessionem mittere, in <i>stallum</i> seu chori sedem inducendo. Vide in Stallum 2. - 2. STALLUM , aut Stallus, sumitur apud Scriptores pro sede uniuscujusque Monachi, aut Canonici in choro Ecclesiae. Humbertus lib. 2. de Mirac. cap. 1. :]
Wander-ausstellungs-räume	temporary exhibition rooms	salles d'expositions temporaires	salas de exposición temporal	stanze della mostra temporanea	oeci expositiōnis temporāiae
Gemälde	painting	tableau	pintura	quadro	pictūra, -ae f.
Projektions-raum	projection room	salle de projection	sala de proyección	sala di proiezione	oecus proiectiōnis

Dauer- ausstellungs- räume	permanent exhibition rooms	salle d'expositions permanentes	salas de exposición permanente	stanze della mostra permanente	oecī expositiōnis continuae
Rahmen	frame	cadre	marco	cornice	margō , marginis m./f.
Begleitkarte	work sheet	fiche technique	ficha técnica	didascalia	charta *didactica
Toilette	toilet	w.-c.	aseos	toilette	sēcessus , -ūs m.
Bibliothek	library	bibliothèque	biblioteca	biblioteca	bibliothēca , -ae f.
Museumsshop	museum shop	boutique du musée	tienda del museo	negozio del museo	tabernula mūsēi
Behinderten- rampe	wheelchair ramp	rampe d'accès pour fauteuils roulants	rampa para sillas de ruedas	rampa per sedie a rotelle	agger mancōrum
Banner der derzeitigen Ausstellung	banner for the current exhibition	banderoie d'exposition encours	banderola della exposición en curso	manifesto della mostra in corso	vexillum expositiōnis praesentis
Kasse	ticket office	billetterie	taquilla	biglietteria	ōstiolum tesserārium
Eingangshalle	entrance hall	hall d'entrée	vestíbulo de entrada	ingresso	vestibulum , -ī n.
Banner der kommenden Ausstellung	banner for the coming exhibition	banderole d'exposition à venir	banderola de la exposición futura	manifesto della mostra successiva	vexillum expositiōnis futūrae
Anschlagtafel der Ausstellungen	exhibition billboard	tableau d'affichage des expositions	cartelera de las exposiciones	tabellone d'affissione delle mostre	tabula *affixōria expositiōnum [Johannes Baptista a Lamzweerde: Chirurgiæ, veteris ac modernæ promptuarium tabulis viginti novem., tom.1, Amstelodami 1672, p.139 acus affixorius]
Sitzungssaal	meeting room	salle de réunion	sala de reuniones	sala riunioni	senāculum , -ī n.; tractātōrium , -īī n.; synedrium , -īī n.
Über- wachungs- raum	control centre	poste de surveillance	puesto de control	postazione di sorveglianza	oecus vigilantiae
p.396 Malen und Zeichnen	painting and drawing	peinture et dessin	pintura y dibujo	disegno e pittura	pictūra et dēlineātiō
Die wichtigsten Techniken	principal techniques	principales techniques	técnicas principales	tecniche principali	ratiōnēs technicae prīncipālēs
Tusche- zeichnung	ink drawing	dessin à l'encre	dibujo da tinta china	disegno a inchiostro	dēlineātiō ātrāmentī Indicī
Kohle- zeichnung	charcoal drawing	dessin au fusain	dibujo al carboncillo	disegno a carboncino	dēlineātiō carbōnāria
Ölmalerei	oil painting	peinture à l'huile	pintura al óleo	pittur a olio	pictūra oleāria
Aquarell	water colour	aquarelle	acuarela	acquerello	pictūra aquāria
Gouache	gouache	gouache	guache	pittura a guazzo	*hydrocommiographia , -ae f. (<i>ratio pingendi</i>) pigmentum *hydrocummātum [2. cfr PALLAD.11,12,6 cummatus "Gummi enthaltend" (Ge.); https://mymemory.translated.net/de/Englisch/Griechisch/gouache υδροκομμογραφία.- https://el.wikipedia.org/wiki/%CE%92%CE%B1%CF%86%CE%AE ; „Η υδροκομμογραφία είναι μια παράλλαξη του αδιαφανούς

					υδροχρώματος που χρησιμοποιήθηκε επίσης τον Μεσαίωνα και στην Αναγέννηση για διακόσμηση χειρογράφων. Η χρωστική κατασκευαζόταν συχνά από ημιπολύτιμους λίθους όπως λάπις λάζουλι και το συνδετικό μέσο κατασκευαζόταν είτε από αραβικό κόμμι ή από ασπράδι αβγού.“]
Filzstift- zeichnung	felt-tip pen drawing	dessin au feutre	pintura con rotuladores	disegno a pennarelli	dēlīneātīō stilī coāctilis
Trockenpastell	dry pastel drawing	dessin au pastel sec	pintura al pastel blando	disegno a pastelli secchi	dēlīneātīō pasticia sicca
Ölpastell	oil pastel drawing	dessin au pastel gras	pintura al pastel al óleo	disegno a pastelli a olio	dēlīneātīō pasticia oleāta
Buntstift- zeichnung	coloured pencil drawing	dessin au crayon de couleur	dibujo de lápices de colores	disegno a matite colorate	dēlineatio stili versicoloris
Wachsmalerei	wax crayon drawing	dessin au crayon de cire	dibujo a la cera	disegno a pastelli a cera	dēlīneātīō cērāta
Ausstattung	equipment	matériel	equipo	attrezzatura	īnstrūmenta (pictōria)
Ölpastell	oil pastel	pastels gras	pastel al óleo	pastelli a olio	(pigmentum) pasticium oleātum
Wachs- farbstifte	wax crayons	crayons de cire	ceras	pastelli a cera	stilī cērātī
Pastell	soft pastel	pastels secs	pastel	pastelli morbidi	stilī pasticī
Buntstifte	colouring pencils	crayons de couleur	lápices de colores	matite colorate	stilī colōrātī
p.397 Marker	marker pen	marqueur	marcador	evidenziatore	stilus ostentātōrius
Filzstift	felt-tip pen	feutre	rotulador	pennarello	stilus coāctilis
Tinte	ink	encre	tinta china	inchiestro	ātrāmentum, -ī n.
Kohle	charcoal	fusain	carboncillo	carboncino	stilus carbōneus; stilus *xylanthrācinus
Ölfarbe	oil paint	couleur à l'huile	óleo	colore a olio	pigmentum oleātum
Näpfchen mit Aquarellfarbe/ Gouachefarbe	watercolour/ gouache cakes	pastilles d'aquarelle/ gouache	pastillas de acuarela/ de guaches	pastiglie d'acquerello/ guazzo	alveolī pigmentī aquāriī/ *hydrocummātī
Tube mit Aquarellfarbe/ Gouachefarbe	watercolour/ gouache tube	tube d'aquarelle/ gouache	tubo de acuarela/ de guache	tubo d'acquerello/ guazzo	(vāsculum) *tubāceum pigmentī aquāriī/ *hydrocummātī
Palettmesser	palette knife	spatule	espátula	spatola	spathula, -ae f.
Malspachtel	painting knife	couteau à peindre	cuchillo paleta	mestichino	culter pictōrius
Graphosfeder	reservoir-nib pen	plume	pluma	pennino	*stilographium, -īī n. [Ei.84,21]
Flachpinsel	flat brush	brosse	pincel plano	pennello piatto	pēnicillus plānus
Japanpinsel	sumie	pinceau à sumie	sumie	penna sumi	pēnicillus iaponicus
Fächerpinel	fan brush	brosse éventail	brocha	pennello a ventaglio	pēnicillus *flābellātus
Pinsel	brush	pinceau	pincel	pennello	pēnicillus, -ī m.
p.398 Farbtafel	colour chart	nuancier	gama de colores	tabella dei colori	tabella colōrum
Palette mit Vertiefungen	palette with hollows	palette à alvéoles	paleta con huecos para pintura	tavolozza con vaschette	orbis pictōrius cavātus [1.+ 2. He.410 = Ki.1714,1,932]
Palette mit Palettstecker	palette with dipper	palette avec godet	paleta con tarrito	tavolozza con vasetto	orbis *vāsculātus
Palettstecker	dipper	godet	tarrito para pincel	vasetto	vāsculum orbis

					pictōriī
Gliederpuppe	articulated mannequin	mannequin articulé	maniquí	manichino snodabile	pūpa articulāta
Spritzpistole	airbrush	aérographe	aerógrafo	aerografo	*aërographum, -ī n.
Düsenkappe	crown	couronne	corona	cappelletto del ago	corōna *aërographī
Farbbehälter	paint cup	godet à couleur	depósito de tinta	serbatoio	vās pigmentī
Deckel	cap	couvercle	tapa	coperchio	operculum, -ī n.
Hebel	trigger	gâchette	gatillo	leva di scatto	vectculus, -ī m.
Luftschlauch	air hose	flexible d'air	conducto de aire comprimido	tubo flessibile per l'aria	uter aëreus
Spritzpistole im Querschnitt	cross section of an airbrush	coupe d'un aérographe	sección transversal de un aerógrafo	sezione trasversale di un aerografo	sectiō trānsversālis *aërographī
Farbspray	paint spray	jet de couleur	color pulverizado	spruzzo di vernice	*sparsimentum *colōrificum
Düse	nozzle	buse	boquilla	ugello	*spargibulum, -ī n.
Nadel	needle	aiguille	aguja	ago	acus, -ūs f.
Farbbehälter	paint cup	godet à couleur	depósito de tinta	serbatoio	vās pigmentī
Hebel	trigger	gâchette	gatillo	leva di scatto	vectculus, -ī m.
Nadelklemmschraube	needle assembly	bloc aiguille	tuerca de sujeción de la aguja	vite ferma ago	cochlea acūs suffigendae
Pinne	pivot	pivot	pivote	perno	cnōdāx, -ācis m. [VITR.10,2,11 gr. Κνώδαξ. cfr Ge. S.v. "t.t. der Mechanik = der Kegelpapfen, franz. pivôt, boulon, engl. pivot"]
Luftventil	air valve	soupape d'arrivée d'air	válvula de aire	valvola dell'aria	valvula aërea
Luftstrom	air flow	jet d'air	aire comprimido	flusso d'ariaq	flūxus aëris
p.399 Zubehör	accessories	accessoires	accesorios	accessori	rēs accessōriae
Reißbrett	drawing board	table à dessin	tablero de dibujo	tavolo da disegno	tabula *dēlineātōria
Arbeitslampe	adjustable lamp	lampe d'architecte	flexo extensible	lampada orientabile	lampas extēnsiva [2.PAUL.dig.38,17,6]
Reißbrett	drawing board	planche à dessin	tablero de dibujo	plano da disegno	tabula *dēlineātōria
Ablagebrett	storage tray	plateau de rangement	bandeja de accesorios	vaschette portaaccessori	tabula dēpositōria
Zeichenmaschine	drafting machine	appareil à dessiner	máquina de dibujar con guía	tecnigrafo	apparātus *dēlineātōrius
Lineal	ruler	règle	regla de escuadra	riga	amussis, -is f.
Laufschiene	track	rail de guidage	guía de la máquina de dibujar	binario	rēgula cursōria
Pedal zur Verstellung	adjustment pedal	pédale d'ajustement	pedal de ajuste	pedale di regolazione	pedāle rēgulandī
Malstock	maulstick	appui-main	tiento	appoggiamano	baculus pictōrius
Staffelei	easel	chevalet	caballete	cavalletto	iugum pictōrium [Bau.1806,2335]; pluteus pictōrius [He.1729]; eculeus pictōrius [Po.1688.317];
p.400 Farbkreis	colour circle	cercle des couleurs	círculo de los colores	cerchio dei colori	circulus colōrum

Grün	green	vert	verde	verde	viridis, -e
Gelbgrün	yellow-green	jaune vert	amarillo verdoso	giallo-verde	flāvi-viridis, -e
Gelb	yellow	jaune	amarillo	giallo	flāvus, -a, -um
Gelborange	orange-yellow	jaune-orangé	naranja amarillento	giallo-arancio	*flāvi-ārancius
Orange	orange	orange	naranja	arancio	*ārancius, -a, -um
Rotorange	orange-red	rouge orangé	naranja rojizo	rosso-arancio	*rubri-ārancius, -a, -um
Rot	red	rouge	rojo	rosso	ruber, rubra, rubrum
Rotviolett	red-violet	rouge violet	rojo violeta	rosso-viola	*rubri-violāceus, -a, -um
Violett	violet	violet	violeta	viola	violāceus, -a, -um
Blauviolett	violet-blue	bleu violet	azul violeta	blu-viola	*caerulei-violāceus, -a, -um
Blau	blue	bleu	azul	blu	caeruleus, -a, -um
Blaugrün	blue-green	bleu vert	azul verdoso	blu-verde	*caerulei-viridis, -e
Farben erster Ordnung	primary colours	couleurs primaires	colores primarios	colori primari	colōrēs prīmārīi
Farben zweiter Ordnung	secondary colours	couleurs secondaires	colores secundarios	colori secundari	colōrēs secundārīi
Farben dritter Ordnung	tertiary colours	couleurs tertiaires	colores terciarios	colori terziari	colōrēs tertiārīi
Hilfsmittel	useful liquids	liquides d'appoints	líquidos accesorios	liquidi utillizzabili	liquōrēs accessōrīi liquōrēs ūtilēs
Leinöl	linseed oil, flaxseed oil	huile de lin	aceite de linaza	olio di semi di lino	oleum līnī
Firnis	varnish	vernis	barniz	lacca	*vernix, -īcis f.
Fixativ	fixative	fixatif	fijador	fissativo	liquor *fixātīvus
Terpentin	turpentine	térébenthine	aguarrás	acquaragia	oleum *terebinthīnae; *terebinthīnum, -ī n.
Bildträger	supports	supports	soportes	supporti	substrāmina imāginum
Papier	paper	papier	papel	carta	charta, -ae f.
Malpappe	cardboard	carton	cartón	cartoncino	*chartō, -ōnis m.; charta spissa
Leinwand	canvas	toile	lienzo	tela	carbasus, -ī f.
Platte	panel	panneau	tabia	pannello	lāmina, -ae f.; brattea, -ae f.; tabula, -ae f.
p.401 Holz-schnitzerei	wood carving	sculpture sur bois	talla en madera	scultura in legno	scalptūra līgnea
Schritte	steps	étapes	etapas	fasi	gradūs, -uum m.pl.
Zeichnen	drawing	traçage	diseño	tracciatura	dēlīnēātiō, -ōnis f.
Aussägen	roughing out	dégrossissage	desbaste	sgrossatura	*exserrātiō, -ōnis f.
Schnitzen	carving	sculpture	talla	intaglio	scalptūra, -ae f.
Herausarbeiten	finishing	finition	acabado	finitura	fīnītiō, -ōnis f.
Beispiele für Werkzeuge	examples of tools	exemples d'outils	ejemplos de utensilios	esempi di utensili	exempla ūtēnsilium
gerades Balleisen	firmer chisel	fermoir	formón	unghuia	scalprum fabrīle
Messer	knife	couteau	cuchillo de contornear	coltello	culter, cultrī m.

gerades Hohleisen; (Grab)stichel; Zeiger, Burin, Sculper, Scorper	burin	burin	escoplo redondo	bulino	caelum, -ī n. [VARRO Sat.Men.7;CIC.Acad.2,85; QUINT.2,21,24]
Riffelzeile	riffler	rifloir	bruñidor con rascador	lima curva	līma curva
Kasteneisen	U-shaped chisel	fluteroni	escoplo de acanalar	sgorbia diritta	caelum rēctum
gebogenes Hohleisen	macaroni	macaroni	escoplo de macarrón	sgorbia incurvata	caelum incurvātum
Hohlbeitel	gouge	gouge	gubia	sgorbia	gubia, -ae f. [VEGET.mul.1,26,2; ISID.orig.19,19,15]
Raspel	rasp	râpe	escofina	raspa	rādula, -ae f. [COLUM.12,18,5]
Dechsel	adze	herminette	azueta para desbastar	ascia	ascia, -ae f.
die wichtigsten Schnitzeisen	principal types of carving blade	principales formes de lames	principales tipos de cuchillas	tipi principali di lame	genera lāminārum scalpendī prīncipālia
gebogenes Eisen	bent blade	lame coudée	curvada	lama ricurva	lāmina curvāta
Löffelzeisen	spoon blade	lame en cuiller	cuchara	lama a cucchiaio	lāmina ligulāta
gerades Eisen	straight blade	lame droite	plana	lama diritta	lāmina rēcta
Eisen mit zwei schrägen Seiten	blade with two bevelled edges	lame à deux biseaux	escoplo	lama smussata	lāmina bis obliquāta
Zubehör	accessories	accessoires	accesorios	accessori	rēs accessōriae
Bock	stand	sellette	taburete	trespolo	statūmen, -inis n.
Schnitzbank-schraube	carver's bench screw	queue-de-cochon	tornillo de banco	vite di banco da scultore	cochlea scamnī scalptōriī
Prägung und Muster	punch and pattern	poinçon et fond	punteo	punzone e motivo	pūctūra et specimen
Schlegel	mallet	maillet	mazo	mazzuolo	malleus ligneus

**Haec vocabula artium et architecturae
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

(Sequetur VOCABULORUM ARTIS ET ARCHITECTURAE PARS II)

MOMO

aut fabula mirabilis, qua narratur de furibus temporis
deque puellâ, quae hominibus tempus reportavit



FABELLARIS FABULA ROMANICA

QUAM THEODISCE NARRAVIT

MICHAEL ENDE

LATINE REDDIDIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

Prima editio operis originalis facta est a.1973.

In tenebris apparet lumen tuum.
 Quod unde veniat, nescio.
 Idem videtur esse tam propinquum,
 tamen tam remotum.
 Nescio, quis voceris.
 Quidcumque es:
 Lucê, lucê, stellula!

VERBA SECUNDUM VETEREM NENIAM PUERORUM HIBERNICAM SCRIPTA

PARS PRIMA

De Momone eiusque amicis

CAPITULUM PRIMUM

Magna urbs et parva puella

Temporibus praevetustis, quibus homines adhuc loquebantur linguis prorsus aliis, in terris calidis iam erant urbes magnae atque magnificae. Ibi palatia regum imperatorumque eminebant, ibi erant viae stratae latae atque angustae, angiportûs angulati, ibi stabant templa magnifica stauis deorum aureis et marmoreis instructa, ibi erant fora versicoloria, ubi merces venibant ex omnibus terris inuectae, et latae plateae pulchrae, ubi homines congregabantur, ut loquerentur de nuntiis novissimis et orationes haberent sive audirent. Praecipuê autem ibi erant magna theatra.

Quae similia erant hodiernis locis circensibus, sed prorsus constructa erant e lapidum struicibus. Ordines sêdum, in quibus sedebant spectatores, tamquam in ingenti infundibulo gradatim unus alteri superpositi erant. Nonnulla talium aedificiorum, si aspectabantur e loco superiore, erant formâ circulari, alia potius ovatâ, alia formâ lati circuli dimidii. Quae aedificia vocabantur amphitheatra.

Quaedam autem erant tantâ magnitudine, quantâ sunt stadia pedifolliaria, et minora, quibus non plures spectatores capiebantur quam aliquot centum. Erant quaedam magnifica, columnis atque

figuris ornata et nonnulla, quae modica erant et ornamenti expertia. Tectis autem haec amphitheatra vacabant, omnia in iis fiebant sub dio. Itaque sedibus theatrorum magnificorum supertendebantur tapetia, quibus spectatores protegebantur contra fervorem sôlis aut imbres repentinos. Simplicibus autem in theatris mattae iunceaee et stramineae eodem erant usu. Ne multis: Haec theatra tantis sumptibus aedificabantur, quantis solvendis homines pares erant. At omnes tale amphitheatrum habere volebant, nam omnes erant spectatores atque auditores cupidissimi.

Cum autem iidem homines aures arrigebant ad res in scaenâ agendas, quibus animi eorum commoti aut contristabantur aut exhilarabantur, vita quamvis in scaenâ tantum exhibita iisdem ratione quadam secretâ verior esse videbatur quam propria vita cottidiana, necnon homines libenter aures arrigebant ad has res alio modo veras.

Ex illo tempore transacta sunt millennia. Magnae urbes illius aetatis sunt dilapsae, templa et palatia irruerunt. Lapidés vento et pluviâ, frigore et fervore erosi sunt et excavati, necnon magnorum theatrorum nihil relictum est nisi parietinae. In muris discissis nunc cicadae cantant cantilenam suam monotonam, quae resonat quasi respiret tellus dormiens.

At nonnullae ex magnis his urbibus antiquis manserunt magnae urbes usque ad diem hodiernum. Scilicet modus vivendi mutatus est. Incolae urbium vehuntur autocinetis raedisve transviariis, utuntur telephonis electricoque lumine. At hic et illic inter aedificia nova adhuc relictæ sunt nonnullae columnae, porta, fragmentum muri aut aliquod amphitheatrum illis diebus veteribus aedificatum. Tali autem in urbe acta est fabula Momonis.

Foris in margine australi huius urbis magnae, ibi, ubi iam sunt agri priores et casae et domûs fiunt etiam etiamque miseriae, sitae sunt parietinae parvi amphitheatri in silvulam pinuum abditaee. Hoc theatrum iam illis temporibus vetustis non fuerat unum ex magnificis, sed iam illis temporibus fuerat theatrum, ut ita dicamus, hominibus pauperioribus dedicatum. Nostris autem diebus, id est illo tempore, quo fabula Momonis incohata est, parietinae oblivione ferê iam

omnino erant obrutae. Nemo has noverat nisi nonnulli professores archaeologiae, sed iidem non multum has parietinas curabant, quia ibi nihil iam erat investigandum. Neque hae parietinae erant res, si comparabantur cum aliis rebus in magnâ illâ urbe sitis, spectatu dignae. Itaque nemo nisi interdum nonnulli philotheori illuc errabant, circumrepebant per ordines sêdum graminibus obsitos, strepitabant, imaginem photographabant memorialem, abibant. Deinde silentium revertebat in circulum lapideum et cicadae incipiebant cantare proximam stropham cantilenae suae infinitae, quae ceterum nullâ re differebat a strophâ priore.

Propriê nemo nisi homines in propinquo habitantes noverant mirum hoc aedificium rotundum. Qui ibidem pascebant capras suas, parvuli plateâ rotundâ utebantur ad pilam ludendam et interdum ibidem vespere congregabantur homines inter se amantes.

At quodam die percrebruit nuperrimê aliquem hominem in parietinis sedem suam collocasse. Verisimile esse hunc hominem esse parvam puellam. Sed hoc non certê dici posse, quia haec puella vestitu esset aliquatenus miro. Eius nomen esse Momonem vel simile.

Reverâ Momo aspectu erat quadamtenus miro ideoque homines, qui magnam vim attribuunt puritati et ordini, Momonem cum aspectabant, aliquatenus terrebantur.

Cum Momo staturâ esset satis parvâ et macrâ, nullo modo cognosci poterat, utrum eadem octo demum annos haberet an iam duodecim. Eius caput nigerrimum cincinnis erat tam hirsutis, ut videretur numquam tactum esse pectine aut forfice. Momo erat permagnis oculis pulcherrimis et item nigerrimis necnon pedibus eiusdem coloris, nam ferê semper ibat pedibus nudis. Hieme tantum eadem interdum gerebat calceos, sed iidem erant duo inter se diversi, qui inter se non congruebant et praeterea erant nimis laxi. Hoc eo effectum erat, quod Momo nihil possidebat nisi ea quae aliquo loco invenerat aut dono acceperat. Eius gunna e variis laciniis versicoloribus consuta usque ad talos dependebat. Gunnae autem superposita erat vetus quaedam iacca virilis nimis laxa, cuius manicae ad manuum artûs erant revolutae. Has autem manicas Momo noluit

resecare, quia providens cogitabat fieri posse, ut ipsa etiam cresceret. Sed quem scire, num umquam iterum inventura esset iaccam tam pulchram tamque aptam tot sacculis instructam?

Sub scaenâ theatri ruinosi graminibus obsitâ erant nonnullae cellae semirutae, quae intrari poterant per foramen muri exterioris. His in cellis Momo instruxerat habitaculum suum.

Aliquo meridie nonnulli viri mulieresque e circumiectis proximis ad puellam venerunt et conati sunt nonnulla e Momone quaerere. Momo autem illos, quibus opposita erat, anxî aspectavit, quia timuit, ne ab illis fugaretur. Sed mox animadvertit illos homines esse affabiles. Qui ipsi cum essent pauperes, vitam noverant.

»Verumne « unus e viris inquit »hicine locus tibi placet?«

»Placet« Momo respondit.

»Vin' hîc permanere?«

»Volo libenter«.

»Nonne ab aliquo exspectaris?«

»Non exspector«

»Nonne tibi redeundum est domum?«

»Hîc habito« Momo celeriter affirmavit.

»Unde venisti, puella?«

Momo manu non definitê motâ indicavit locum quemlibet remotissimum.

»Quinam sunt parentes tui?« vir interrogavit investigare pergens.

Puella autem eum aliosque homines aspectavit nesciens, quid responderet, umeros aliquatenus tollens. Homines inter se aspectantes gemuerunt.

»Noli timere« vir loqui perrexit, »nolumus te fugare. Volumus te adiuvari«.

Momo tacita annuit, adhuc parum persuasa.

»Dixistine te vocari Momonem, nonne?«

»Dixi«.

»Hoc est nomen lepidum, sed idem numquam audivi. Quis tibi hoc nomen imposuit?«

»Ego« Momo dixit.

»Quandonam nata es?«

Momo cum deliberavisset, tandem dixit: »Quantum recordor, semper iam adfui«.

»Nonne tibi est aliqua matertera, aliqui patruus, aliqua avia, omnino ulla familia, quam adeas?«

Momo virum aspiciens aliquantisper tacuit. Deinde ea murmuravit: »Ego hîc habito«.

»Licet hîc habites« vir inquit »at puella es – quotnam annos habes?«

»Centum« Momo dixit cessans. Homines riserunt putantes Momonem iocatam esse.

»Dic serio – quot annos habes?«

»Centum et duos annos« Momo respondit, etiam paululo incertior.

Aliquanto demum spatio temporis transacto homines animadverterunt puellam nihil novisse nisi quaedam verba numeralia audiendo aucupata, sed nescire, quantum valerent, quia a nemine docta erat numerare.

»Audi« vir inquit cum aliis collocutus »tibine gratum est nos astynomos certiores facere te adesse? Si hoc fecerimus, ad orphanotropheum adducta accipies cibos et lectum et disces calculare et legere et scribere et multa alia. Quid tibi de hac re videtur, quidnam?«

Momo illum aspexit territa.

»Hoc displicet« murmuravit, »nolo illuc ire. Illîc iam fui aliquando. Alii quoque parvuli ibi fuerunt. Fenestrae erant cancellatae. Omni die vapulabamus – prorsus iniustê. Itaque nocte trans murum nixa aufugi. Nolo iterum illuc ire«.

»Hoc intellego« senex quidam dixit annuens. Necnon ceteri homines re intellectâ annuerunt.

»Assentior quidem« mulier quaedam inquit »sed adhuc parva es. Ab aliquo curanda es«.

»A me« Momo respondit animo levato.

»Scin' hoc facere?« mulier interrogavit.

Momo cum aliquamdiu tacuisset, submissê dixit: »Ego non multo egeo«.

Iterum homines inter se aspexerunt, gemuerunt, annuerunt.

Tum vir, qui primo locutus erat: »Audi, Momo« inquit »sentimus fieri posse, ut apud aliquem nostrum habites. Licet nos ipsi non multum habeamus loci vacui, et plerisque nostrum sint iam multi liberi cibandi. Sed sentimus flocci facere, utrum una parvula addatur necne. Quidnam tibi videtur?«

»Gratias ago« Momo dixit primo subridens. »Multas gratias! At nonne fieri potest, ut me hîc habitare sinatis?«

Homines autem diu inter se consultabant, denique assenserunt. Nam senserunt hîc loco puellam haud peius habitare posse quam apud aliquem suorum, seque omnes unâ velle prospicere salutem Momonis, quia sibi unâ laborantibus hoc facilius esse quam uni sôli.

Iidem statim coeperunt labores exanclare eo quod primo cellam semirutam lapideam, in quâ Momo habitabat, ordinaverunt et reparaverunt, quantum potuerunt. Unus ex iis, qui erat faber murarius, construxit ipsum focum lapideum. Etiam tubum fornacis ferrugineum invenerunt. Vetus faber scriniarius nonnullis cistarum tabulis, quas clavîs inter se coniunxit, fabricavit mensulam duasque sellas. Denique autem mulieres attulerunt lectum ferreum detritum, litteris curvatis ornatum, culcitram parum discissam, duasque lodices. Ita caverna lapidea sub scaenâ parietinarum sita facta erat cubiculum commodum. Murarius autem, qui ingenio erat artificioso, denique pinxit picturam florum parieti affigendam. Ipsam autem marginem clavumque, e quo pictura dependebat, appinxit.

Deinde autem parvuli hominum filii advenerunt afferentes cibos, quos habuerunt sibi relictos, unus frustulum casei, alter paniculum, tertius nonnulla poma, et alii aliud. Cum autem parvuli essent permulti, hîc vespere tanta copia ciborum collecta est, ut omnes in amphitheatro unâ possent in honorem Momonis habitaculum ineuntis veram festivitatum¹ celebrare. Quae erat tantae hilaritatis, quantae nemo celebrat festivitatum nisi homines pauperes.

Ita incohata est amicitia inter Momonem parvulam et homines in circumiectis propioribus habitantes conciliata.

¹ fĕstĭvĭtātŭla, -ae f. ALCIMUS ECDICIUS AVITUS (460-518 p.Chr.) epist.88.

FABULAM MOMONIS
A MICHAELE ENDE
CONSCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

ECHUS VOCES

Marcus Cristini Nicolao Gross s.p.d.

Gratias tibi ago pro *Epistula Leonina* mihi nuper missa proque diserta interpretatione Thomae Mann capitis de festo Christi Natalis in domo Buddenbroockiana. Non dubito, quin *Buddenbroockios* in Latinum sermonem vertere labor sit longus et laboriosus, mihi autem persuasum est opus hoc omnibus Latinitatis fautoribus gratissimum fore, itaque te exhortor, ut animose pergas.

Ante mensem symbolam brevem de certamine inter Hilariam Clinton et Donaldum Trump promisi et, cum pacta sint servanda, id tibi mitto una cum hac epistula electronica. Cicero (*de or.* II, 36) aiebat historiam testem temporum necnon magistram vitae esse, sed res in America Europaque anno 2016 gestae ostenderunt politicos nostros Clio minime favere. Utinam, annalibus perlectis, anno ineunte aliter se gerant!

Optime vale

Marcus Cristini

Nicolaus Marco s.

Magnas gratias tibi debeo, care Marce, quod mihi misisti relationem prolixam de Hilaria et Donaldio diserte scriptam.

Quam libenter publicabo in *Epistula Leonina*. Tamen puto te de his politicis non omni ex parte sat convenienter iudicare. Hilaria a te paululo nimium laudari (quam equidem puto documenta haud pauca perscrutatus nulla laude dignam esse). Nescio an Donaldum nimis parvi aestimes. Noli oblivisci nuntios officiales esse mendacissimos.

Huic epistolio submisi textum orationis Donaldii inauguralis, quae mihi haud displicet. Quid tibi de ea videtur?

Studia autem tua Latinissima semper mihi perplacere scito.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI - Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM VICESIMAM TERTIAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Saturni, 28. m. Ian., a.2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>